

Nota

NUM ALIQUALIS FIDES SIT NECESSARIA AD MATRIMONIUM INTER BAPTIZATOS CELEBRANDUM

SUMMARIUM: 1. Matrimonii civilis consistentia inter baptizatos. — 2. Quaestio dogmatica. — 3. Motiva pastoralia. — 4. «foedus et sacramentum» inseparabilia sunt elementa matrimonii inter baptizatos. — 5. An fides Ecclesiae sufficiat ad sacramentum suscipiendum?. — 6. Doctrina traditionalis de intentione et fide ministri sacramenti. — 7. De matrimonio apostatarum. — 8. Hypothesis auctoris. — 9. Quaedam de theologia sacramentali hodierna. — 10. De legitima administratione sacramenti «in fide Ecclesiae» fidem explicitam non habenti. — 11. De praesentia sacramenti in apostatis nupturientibus. — 12. Matrimonium: sacramentum permanens. — 13. De sacramentali similitudine Eucharistiae cum Matrimonio. — 14. De matrimonio mixto communior sententia. — 15. Conclusio.

Iuxta diuturnam traditionalem sententiam magisterii ecclesiastici, in iure canonico tam praecedenti (can. 1012) quam recenti (can. 1055 § 2) receptam, cui praecesserat traditio theologica usque ad recentissima tempora unanimis, «inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum».

1. Haec assertio non excludit possibilitatem attribuendi quandam consistentiam sic dicto matrimonio civili duorum baptizatorum, quando utraque pars ducitur intentione ineundi verum connubium in unitate indissolubili. Implicat, vero, secundum opinionem

adhuc a multis sustentatam, cui plane assentimur, proprie dictam fidem etsi tantum initialem non esse necessariam ut foedus matrimoniale, naturalibus elementis essentialibus praeditum, eo ipso sit verum Ecclesiae sacramentum. Non obstat quod fidem per apostasiam ex toto repudiaverint (cf. can. 751), sicut non obstat inanis voluntas excludendi indolem sacramentalem foederis ineundi, cui praevaleat intentio praeprimis veras nuptias contrahendi.

Huiusmodi doctrina traditionalis in crisim a non paucis revocata est in periodo postconciliari propter considerationes dogmaticas simul et pastorales ultimo hoc tempore exortas, ut fidem, alii explicitam, alii saltem in certo quodam modo et mensura implicitam, requirant in nupturientibus baptizatis, ut foedere coniugii sacramentali inter se coniungi possint.

2. Ad quaestiones dogmaticas pertinet imprimis relatio inter fidem et sacramenta, quae duobus eiusdem quaestionis aspectibus, viam aperuit: Num possit dari verum foedus matrimoniale inter baptizatos serio accedentes ad ineundum consortium totius vitae perpetuum et exclusivum, postquam in apostasiam inciderint; num fides, saltem initialis et imperfectissima, omnino requiratur ut verum foedus sacramentale inire possint duo baptizati non credentes.

Haec quaestio originem et momenutm theologicum trahit imprimis ab interpretatione a non paucis data sententiae in n. 59 Constitutionis *Sacrosanctum Concilium* expressae, in quae asseritur, generaliter et in universum, sacramenta praesupponere fidem, quam ex se alunt, roborant et expriment. Quae interpretandi conciliarem sententiam ratio confirmatur, et quodammodo roboratur, in renovato *Ordine liturgico celebrandi matrimonium* anni 1969, in quo, n.

7, reassumptae expressioni generali modo relatae, additur, quasi confirmatio et applicatio in casu particulari, quod “sacramentum... matrimonii fidem supponit atque expostulat”.

3. Motiva quoque pastoralia accedunt ad quaestionis dogmaticae momentum alia ratione augendum. Non paucis pastoribus difficultates occurrunt semper magis frequentes in agendo cum paroecianis fide privatis, qui nuptias priores inierint in facie quidem Ecclesiae et cum voluntate perseverandi in eis, qui, vero, a proposito deinde defecerint et nunc, in unione irregulari degentes, sincere exoptant reconciliationem cum Deo et cum Ecclesia. Facilis via desideratae reconciliationis istis pateret si, recuperata fide qua privabantur, ut saepe aiunt, in ineunda prima unione fragili, nunc valerent stabile sacramentum inire.

4. Si ageretur de realitate foederis coniugalis nondum existentis in oeconomia creationis, sed ex toto constituti in oeconomia redemptionis, itemque, si ministerium officiale Ecclesiae esset necessarium ad constituendum sacramentum matrimonii, sicut in caeteris sacramentis, necessitas alicuius fidei in nupturientibus rationabiliter requireretur ex parte Ecclesiae in nupturientibus, ut per actum religiosum rituales eos admitteret ad connubium. Reapse deficeret Ecclesia ab accepta missione a Christo, si sacramentum vivorum administraret adultis baptizatis privatis fide, quae est fundamentum iustificationis, obicem opposentibus fructuositati sacramenti.

At vero sacramentum matrimonii hoc, inter alia, habet proprium et singulare, quod foedus ipsum naturale indole religiosa insignitum, et a Christo ad

dignitatem sacramenti elevatum ex se valent inire ipsi nupturientes absque necessario interventu inevitabili Ecclesiae, dummodo observentur normae propter bonum commune praescriptae ad valorem foederis coram societate tutandum. Sacramentum hoc suscipitur quidem in Ecclesia; sed Ecclesia nec habet potestatem ad impediendam absolute et directe eius celebrationem, sicut eam habet relate ad celebrationem aliorum sacramentorum praeter baptismum, nec cooperatur ut minister actionis sacramentalis sicut in aliis sacramentis. Si executio huius, sicut aliorum sacramentorum, reservata fuisset a Christo ministerio Ecclesiae, verisimiliter determinasset separabilitatem inter foedus coniugale et sacramentum, ne ministerium Ecclesiae concurrere deberet ad perficiendam actionem sacramentalem indignam.

5. Doctrina traditionalis negans separabilitatem inter foedus coniugale baptizatorum et sacramentum, etiam apud apostatas a fide, non impingit ut videtur, in doctrinam conciliarem de sacramentis fidem expostulantibus, immo et supponentibus in Ecclesia, cui commendata sunt et intra quam perficiuntur. Iure, igitur, dicitur et necessario est sacramentum fidei indefectibilis Ecclesiae, intra quam celebratur et cuius curae pastoralis est commendatum ut digne celebretur ab omnibus qui per baptismum sunt eidem incorporati.

Hoc videtur plane sufficere ad rectam interpretationem memorati asserti conciliaris, sine argumentis limitatam et relatam a nonnullis ad fidem personalem subiecti suscipientis sacramentum. Baptismus recte dicitur per antonomasian sacramentum fidei; nihilo minus fidem non supponit in baptizato infante, cui administrari potest sacramentum in fide Ecclesiae

etiam a ministro pagano. Nec fortasse desunt theologi qui fidem personalem requirunt in nupturientibus ut eorum coniugium sit sacramentum, dum ex alia parte innuunt infantes morientes sine baptismo in re suscepto salvari per baptismi votum Ecclesiae, secundum opinionem iam expressam inde a medio aevo, in qua princeps et doctor communis apprime distinguebat inter fidem necessariam Ecclesiae et fidem addititiam ministri conferentis et subiecti accipientis sacramenta: «Fides dat efficaciam sacramentis in quantum causae principali quodammodo continuat»¹. Idem S. Thomas referendo de catharis fidei catholicae adversantibus, et memorando errorem circa sacramentum, asserebat infidelem verum unire sacramentale coniugium «dummodo intendant facere, vel recipere quod Ecclesia dat, quamvis credat nihil esse»². Asserta, igitur, a Concilio, in Rituali sacramenti confirmata, analysi profundiori et ulteriori investigatione subicienda sunt ab iis qui requirunt fidem personalem, ne ultra mensuram premant contra sententiam traditionalem circa sacramentalem indolem foederis coniugalis initi a baptizatis fide privatis. Nova omnino esset saltem opinio quae fidem in nupturientibus baptizatis consideraret tamquam constitutivum sacramenti; sed neque ut praerequisitum eam vindicandam esse iuxta doctrinam Concilii, nostra opinione est dicendum.

6. Certo certius iuxta doctrinam traditionalem, non semel a Magisterio authentico declaratam, fides nequaquam requiritur ad validam collationem sacramentorum in ministro. Sed etiam ad validam susceptionem eorundem ex parte subiecti nihil aliud require-

¹ *In IV Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 4 sol. 3, ad 3.

² *Ibid.* dist. 30, q. 1, art. 2, ad 2.

bat cohaerenter opinio communis praeter voluntatem habitualement, alias explicitam alias tantum implicitam, suscipiendi sacramentum, realitatem nimirum rei sacrae, non in quantum sacrae. Ad intentionem vero ministri quod attinet, ea ut minimum exigitur semper virtualis implicita ex natura rei.

Applicando hanc doctrinam ad matrimonium, mirum apparet quod in nupturientibus plus fidei in quantum subiectum suscipiens requiratur, quam illud quod exigitur in quantum minister conficiens. Quod, autem, spectat ad voluntatem suscipiendi sacramentum, praeter observationem cann. 1099. 1100, quod error circa sacramentalem dignitatem coniugii christianorum et scientia aut opinio nullitatis matrimonii non vitiant consensum matrimoniale, quando animus nupturientium primo et principaliter, etsi forte solum implicate, fertur in foedus vere coniugale instaurandum, recurrit in illustrationem doctrinae canonicae trita explicatio moralis circa sententiam ferendam, quae cui intentioni praevaleat in conflictu duorum propositorum inter se oppositorum quae a voluntate simul intenduntur³.

7. His ad matrimonium apostatarum a fide applicatis, pervenitur ad hanc conclusionem: apostatae a

³ Gravis difficultas practica in ferenda sententia circa existentiam foederis coniugii sacramentalis in huiusmodi casibus nupturientium qui explicitate renunt sacramentum expeditur eodem modo applicato similibus contrariis intentionibus simul praesentibus in animo: Intentio, fortasse tantum implicita, sed praevalet in animo, praevallet intentioni simultaneae contrariae fortasse explicitae et magis praesenti in conscientia: qui intendit acquirere determinatam mercem modo absoluto, acceptat implicate adulterationes eius accidentales, quas erronee putat non inficere mercem, quasque explicita sed inefficaci intentione respuat.

fide, quatenus voluntate implicita praevalenti intendant inire verum foedus coniugale inter se, utcumque irrideant sacramentalitatem eiusdem tanquam figmentum, immo et expressa voluntate infirmiori, ideoque inefficaci, excludere intendant quod implicite acceptant in praevalenti animo ineundi veras nuptias, revera sacramentum perficiunt et suscipiunt, iuxta rationalem opinionem, in ineundo foedere nuptiali quod de facto inter baptizatos est sacramentum. Per baptismum susceptum adimpleta sunt requisita ontologica ut nupturientium foedus coniugale, quatenus verum sit, eo ipso sit etiam sacramentum. Per baptismum inserti in Christo et incorporati eius Ecclesiae, sigillo sacramentali indelebili signati sunt, in populo sacerdotali inserti et ad actus cultuales apti; radicaliter participant in sacerdotio Christi et proxime capaces sunt qui gratia sacramentali, matrimonii propria, fruantur in Ecclesia ex quo obicem ad eius salutarem actionem removeant.

8. His generaliter praemissis de personali nostra persuasionem, audemus indicare, ad modum hypothesis quae possit conferre ad concordandas discordantes opiniones vel sententias, quasdam considerationes, quae fortasse possint haberi tamquam approximatio existentium divergentiarum.

Considerationes quae sequuntur structuram conexam non habent, sed solam finalitatis unitatem; in illud scilicet intendunt ut, ex diversis angulis, considerationes proferantur quae verisimilem reddere possint sententiam quamdam mediam inter duas extremas, iuxta quam unio inter duos baptizatos nulla proprie dicta fide, nequidem initiali praeditos, siquidem animo vere coniugali ineatur, saltem habebit obiectivitatem sacramenti, et erit materialiter sacramentum, sed

fortasse tantum radicaliter, fidem requirens in nupturientibus ut evadat formaliter et operose causativum gratiae pro unoquoque eorum iuxta mensuram recuperationis fidei et dispositionis personalis ad fruendum gratia sacramentali.

9. In theologia sacramentaria in dies evidentior apparuit error praemittendi tractationi de singulis sacramentis introductivam expositionem de sacramentis in genere, quaerendo ultra modum unitatem elementorum et conditionum essentialium. Doctrina faciebat quidem discrimen imprimis inter sacramenta imprimentia et non imprimentia characterem, vivorum et mortuorum; sed tendentia erat assimilandi inter se configurationem omnium. At vero diversitates non parvae admittendae sunt, et hodie communiter admittuntur, etiam in relatione ad potestatem Ecclesiae ergo ipsa signa sacramentalia, quae olim ignorabantur vel negabantur a theologis.

10. In relatione cum nostro argumento, quis non videt inter sacramenta fidem supponentia atque ex-postulantia inveniri, praeter baptismum regulariter infantibus collatum, etiam confirmationem et Eucharistiam, quae saepe administrantur fidelibus fide actuali carentibus et actuum fidei personaliter eliciendorum incapacibus? Attamen indubium est hanc sacramentorum administrationem legitimam esse in Ecclesia, eiusdemque fidem sufficere pro illa administratione. Quidni eadem fides Ecclesiae non sufficiat pro celebratione sacramentali matrimonii inter duos apostatas a fide?

Possit quis dicere in tribus hisce sacramentis subiectum eorum esse passivum mere suscipiens donum a Christo per ministerium Ecclesiae, dum in

matrimonio donum sacramentale confertur per ministerium ipsorum nupturientium, qui sunt ministri simul ac subiecta activa sacramenti. At vero ministerium eorum non est independens ac separatum a ministerio ipsius Ecclesiae, in qua et per quam consecrati fuerant permanenter Sanctissimae Trinitati, radicaliter configurati in aeternum cum sacerdotio Christi, aptati ad actus cultuales religionis christianae exercendos in Ecclesia, etiam sacramentales quando huiusmodi actus, ut matrimonium, sacerdotium ministeriale non requirunt.

11. Baptismus, cum sit sacramentum characterem imprimens, iterari nequit, sicut nec Confirmatio et Ordo, propter eandem rationem (can. 845 § 1). Hoc implicat eorum reviviscentiam quoad effectum gratiae sacramentalis, quae serius applicabitur eadem suscipientibus cum obice qui interea talis gratiae applicationem impendebat. Necessitas in baptismo, summa in Ordine exigentia, magna in confirmatione convenientia, faciunt ut gratiae sacramentalis communicatio, quae suspensa fuerat quoad applicationem in subiectis propter obicem, conferatur subiectis quando obex fuerit remotus per reviviscentiam collati sacramenti.

Dici possit huiusmodi sacramenta realiter suscepta a subiecto eidem formaliter non fuisse applicata in propria singulorum virtualitate dum impedimentum gratiae exsistebat. Quidni possit dici aliquid simile de matrimonio? Etenim istud quoque, gratia sacramentali summopere indigens, subtractum est iterationi propter indissolubilitatem vinculi, donec uterque coniux manet in vita. Hinc, simili consideratione vindicari potest praesentia sacramenti cum sua virtualitate in apostatis nupturientibus, ut postea, remoto obice

gratiae, et operetur in coniugibus ad graves obligationes satisfaciendas. Nam secundum disciplinam Ecclesiae celebratio sacramentalis iterari non potest, nequidem sub conditione, si consensus naturaliter validus affuit. Absonum esset dicere huiusmodi coniugatos damnatos esse pro tota vitam privationi gratiae sacramentalis etsi disponantur ad eam ipsaque sint indigentes, idque propter divinam ordinationem.

12. Accedit quot, sicut Sanctissima Eucharistia vinculum coniugale est aliquid permanens, nupturientes baptizatos radicaliter constituens in stabili forma vivendi christiana, cum operositate eis destinata a Christo ut, secundum ipsorum dignitatem, officia peculiaria sui status vitae adimpleant. In encyclica *Casti connubii* memoratus fuit Pius XI, approbens et confirmans, sententiam Sancti Roberti Bellarmini iuxta quam matrimonium considerari valet permanens «postquam factum est. Est enim aliquid simile Eucharistiae, quae est sacramentum non solum dum fit consecratio, sed etiam dum permanet praesentia Christi sub speciebus sacramentalibus; dum enim coniuges vivunt, semper eorum societas sacramentum est Christi et Ecclesiae»⁴, promptum ad gratiam conferendam dum foedus persistit. Sicut character sacramentalis signum est gratiae ac titulus gratiam accersens ad animam obicem non opponentem, sic in matrimonio vinculum a Deo stabilitum pro baptizatis nupturientibus titulus est gratiam reclamans et trahens ut vitam secundum normam a Deo determinatam honeste degant.

⁴ AAS 22 (1930) 583.

13. Haec aliqualis similitudo ratione permanentiae inter sacramenta Eucharistiae et matrimonii viam aperit ad aliam reflexionem quae possit fortasse proximiores reddere sententias theologorum supra memoratas. Si quis paganus sumeret Eucharistiam, non quidem reciperet sacramentum in rationem formali sacramenti, cum nondum suscepit baptismum, ianuam ceterorum sacramentorum; at vero negari nequit quod suscepit materialitatem et virtualitatem sacramenti, illud scilicet quod est sacramentum permanens, susceptum in eo sine actione sacramentali propter incapacitatem subiecti. Et imaginari licet casum in quo, si tale subiectum baptizaretur dum species sacramentales manerent in eo incorruptae, gratia sacramentalis ab eo momento ageret in neophyto; non quidem propter reviviscentiam sacramenti, sed propter praesentiam in subiecto iam plene capaci ad virtutem gratiae sacramentalis excipiendam.

Numquid non possit simile quid cogitari de coniugio apostatarum, qui totius vitae consortium unum et indissolubile intenderant inire? Etenim in intendendo vinculo nuptiali uno et indivisibili, prae qualibet alia contraria intentione et tendentia animi incompatibili cum eo, intendebant certo certius foedus naturale religiosum obiective a Deo sic institutum; quod autem pro baptizatis Christus elevatum voluit ad dignitatem sacramenti Ecclesiae. Nihil in tali casu defecisse videtur ut dici possit omnia elementa sacramentalia in tali foedere convenisse quae requirentur et sufficiunt ut realitas materialis et virtualitas sacramenti habeatur et a coniugibus radicaliter capacibus suscipiatur.

Et quia matrimonium dici potest, in similitudine cum Eucharistia, sacramentum permanens, realitas obiectiva foederis coniugalis a baptizatis intenta, quae

etiam apud paganos est quid sacrum, apta videtur fuisse in illis ab initio et virtutem habens ut gratiam sacramentalem contineret, promptam pro communicatione ad coniugatos ab apostasia recedentes.

Sicut pro perceptione formaliter sacramentali realis sacramenti Eucharistiae materialiter iam suscepti obstat carentia baptismi in pagano, quidni pro perceptione formali virtualitatis sacramenti matrimonii realiter in omnibus suis elementis materialiter suscepti obstat carentia fidei ad modum obicis gratiae, non autem inexistendiae sacramenti?

14. Sententia nunc fere vix communis, sed semper communior in traditione theologica, fert circa matrimonia mixta can. 1086 coniugem baptizatum non suscipere sacramentum, sive propter inane motivum quod illud ei conferretur a ministro pagano, sive quia sacramentum connectitur cum foedere et natura est posterius foederi *duorum* baptizatorum. Pariter doctrina generalis censet matrimonium mixtum, nec aliter matrimonium naturale duorum paganorum, eo ipso elevari ad dignitatem et virtualitatem sacramentalem, quo coniux paganus in primo casu, et uterque in secundo, sacramentum baptismi receperint.

Num id non satis ostendit realitatem intenti foederis coniugalis duorum apostatarum a fide habere in se totalitatem elementorum concurrentium ad constitutionem obiectivam sacramenti: personarum scilicet capacitatem, intensionem earum tendentem ad verum foedus constituendum; remotam dispositionem ad amorem coniugalem speciali gratiae et caritatis dono sanandum et perficiendum et elevandum⁵; plenam aptitudinem ex parte foederis ut, ex dispositione Christi, efficiatur receptaculum virtutis sacramentalis confortantis coniugatos eosque urgentis ad vocatio-

nem christianam sibi insitam fideliter adimplendam.

Quid, ergo, indicari potest tanquam deficiens ut sacramenti radicalis existentia negetur haberi apud christianos apostatas, vere et realiter intendentes foedus quod Christus elevatum voluit ad dignitatem et virtutem sacramenti, si adest materia, adest forma, adsunt subiecta capacia, adest intentio ministrantium et suscipientium, adest et ipsum vinculum naturale in suis elementis materialibus, etsi in ordine iuridico privetur effectu? Haec si negentur, qua ratione explicatur praesentia sacramenti in matrimoniis mixtis et paganorum quando, utraque parte baptizata, sacramento eorum pristinum foedus naturale decorari et velut consecrari agnoscimus?

15. Cum, igitur, in foedere coniugali intentato a duobus christianis apostatis non deficient elementa apta et necessaria ad efficiendum sacramentum, neque sufficiens intentio implicita sacramenti conferendi et suscipiendi, neque finalitas gratiae sacramentalis dispositae a Christo pro baptizatis, cumque difficulter alia ratione explicetur praesentia sacramenti in subiectis quae naturale foedus matrimoniale inierant, cum uterque posterius baptismo Christo consecrantur, ut minimum dicendum videtur quod christiani apostatae a fide, in intendendo vero foedere coniugali permanenti recipiunt totam realitatem constitutivam et virtualitatem sacramenti matrimonii, quae formaliter operari incipiet post recuperatam fidem; sed probabilius manet quod sensu pleno et formali recipiunt sacramentum, unde «inter baptizatos nequit matrimonialis contractus valide consistere, quin sit eo ipso sacramentum» (can. 1055 § 2).

MARCELINO ZALBA, S.J.